



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. De aliis nonnullis casibus, in quibus sententia non transit judicatam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. IV.

De aliis nonnullis casibus, in quibus sententia non transit in rem iudicatam.

Primò sententia censuræ, excommunicationis, suspensionis, & interdicti, etiam post elapsum decennium ad appellationem concessam, non transit in rem iudicatam, quò minus excommunicatus v. g. petere possit absolutionem, vel de injusta excommunicatione conqueri, non quidem per viam appellationis, sed per simplicem querelam c. Cum contingat 36. De offic. iud. deleg. c. final. De panis. c. Sacro, 48. De sent. excomm. & Glossa in c. Ad reprimendum 8. V. Suspendatur. De offic. iud. ordi. ob eandem scilicet rationem, quæ pro causis matrimonialibus militat.

Secundò sententia lata in causa beneficii, à qua intra decem dies non est appellatum, non transit in rem iudicatam in præiudicium Ecclesiæ (ob favorem scilicet Ecclesiæ) vel in præiudicium animæ, si periculum peccati imminet, arg. c. Lator. 7. b. e. ita ut possit vel ex officio Iudex contra talem, pro quo lata est sententia, inquirere, vel simplicem alterius querelam admittere, & audire: in proprium tamen præiudicium Beneficiati v. g. contradicentis sententiæ latæ transit hæc in rem iudicatam, si suo tempore contra eam non appelletur c. Cum dilectus 32. De elect.

Tertiò, sententia ex falsis instrumentis, & testimoniis lata, non transit in rem iudicatam, etiam si conveniente tempore ab ea appellatum non sit; sed

si probari possit, quod Iudex ex erroris fallitate ad sententiam ferendam movens fuerit, retractari hæc debet c. Sicut, De testibus, & c. Cum l. & A. 2. 2. h. ut ne malitia partis litigantis, & Iudicis condemnantis obstitit innocenti opprobriis falsis instrumentis, & testimoniis.

Quartò, non transit in rem iudicatam decisa lis, quæ ex iuramento necessarium in supplementum probationum parti Iudice delato, definita fuit, quin retractari ea postmodum possit, si per nova instrumenta constet de fallitate iuramenti. L. Admonendi 31. ff. De iurjurand. & Glossa in casu: neque enim quod de iure speciali tantum fit, uti fit litis decisa per iuramentum necessarium parti, proferendum est ei, quod sit de iure communi, prout se habet probatio, quæ fit per instrumenta legitima: hæc tamen non probant contra iuramentum voluntarium parti à parte delatum, quo in tali decisio litis non fit in vim sententiæ, sed in vim transactiois inter partes celebratæ.

Quintò denique nulla sententia, ipso iure invalida est, transit in rem iudicatam, quò minus ulque viginti annos de nullitate illius agi possit, quòd exigit hoc iuri debita reverentia, tum quòd sæpe in talibus sententiis periculum animæ vertatur.

§*§